...dreas

Episcopus Cracoviensis

Cracoviensis Societatis Jesu Collegii: Echo concie-
tus olorini ad petram refracti.

ECHO
CONCENTVS OLORINI
Ad PETRAM refracti.
Seu
PANEGYRICA
GRATVLATIO,
Quâ
Virtutis & Honoris harmoniæ.
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI
D. ANDREÆ
TRZEBICKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ.
Dum suam ac Regni sedem auspicatò adiret,
ad numeros Gloriæ immortalis resonanti.

RESPONDEBAT.

Devinctissimum Suæ Celsitudini ac devotissimum

COLLEGIVM CRACOVIEN: SOCIETATIS IESV.

ad Regiam SS. PETRI *& Pauli Basilicam*

Anno à Christi in terris ortu M.D.C.LVIII. 3. Nonas Novemb.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographicâ Ioannis Pauli Cezary, Illustrißimi ac Reverendißimi Principis, Episcopi Cracoviensis Typographi.

Canente Cygno Scopuli & valles respondent
Oppian. apud Aldrovand.



Qui modo Sanæis niveus consederat undis,
Nunc super Istuleas considet Ales aquas.
At quocunq; locet felicem flumine nidum
Hic Olor, argutum concinit ore melos
Dulce melos Scopulis & vallibus, eminus illi
Responsat fracto saxea PETRA sono.
Mireris, nostrâ sequimur si voce canentem?
A PETRI resilit vocis imago PETRA.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO

D. ANDREÆ TRZEBICKI,

Dei & Apostolicæ sedis gratia
EPISCOPO CRACOVIENSI
Duci Severiæ.

DVm tot, tantisq; officiis venerantium Honores Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis pars accedimus, paribus studiis voluntatum, impari necessitate agimur, & causâ PRINCEPS ILLVSTRISSIME *Communem cæteris pietatem eodem, quo cæteri debito, studioq; ut ex animis in lucem proferamus, unum idemque est jus Honoris, quo nos, aliosq; officio Patris optimi, ac Pastoris complectitur T. Celsitudo. At verò eò justiùs crescere in nobis pietatis, ac observantiæ peculiaria nomina necesse est, quo constantior nobis est singularis Tuæ Celsitudinis erga nos benignitatis usus. Quem primis adolescentiæ surgentis annis propensissimum animi affectum nobis attulit Tua Celsitudo, servat constantissima voluntate; nisi quod & ille major creverit crescentium annorum, Honorumq; procursu. Quanquam & Honoribus Tuam Celsitudinem adeo succrevisse, rationibus nominum, quibus obstringimur Tuæ Celsitud: adscribimus lubentes, quòd altissimas spes de se nostras iis jam exordiis conceptas in verissimum altitudinis verticem provexerit Tua Celsitudo egregio insignis industriæ, ac vir-*

tutum conatu. Ita crescere oportebat Tuam Celsitudinem quam virtus proveheret; quam adeo ducem habuit ad Honores, ut ne assequi voluisset, nisi mereretur. Hæc illa jucundissima est in Tua Celsitudine Virtutis, & Honoris harmonia, quam mirabili consensu utriusque gratissimam exhibet T. Celsitudo animis, atque oculis; ipsis demum auribus infundit, quod clarissimâ gratissimi concentus famâ, & opinione Orbem impleat T. Celsitudo. Nos, quam gemino aurium, atque oculorum usu percipimus harmoniam, refundimus in T. Celsitudinem, ut videri possit jucundissimus hic, & harmonicus virtutis & Honoris in T. Celsitudine consensus hîc etiam reflecti à scopulis saxeis, ac PETRA, *quòd à* PETRI *Principis Episcoporum clientibus referatur. Cracoviæ ad Basilicam SS.* PETRI *& Pauli.*

Illustrissimæ Tuæ Celsitudinis

humillimis obsequiis devotissimum ac devinctissimum

Collegium Cracovien: Soc: Iesu.

PANE-

PANEGYRICVS

INter geminam ac germanam Virtutis & Honoris dignitatem, gentilitius Olor Tuus, Princeps Illustrissime, fortunato veriùs meritorum, quàm alarum remigio, ad debitam Tibi Celsitudinem, provehitur altiore passu, quàm humano. Neque enim vulgari vestigio procedere oportet ingentibus juxta ac justissimis studiis contendentem ad utriusque gloriæ immortalitatem: neque Tu meliori in hanc Tuo Nomini devotam urbem ingredi apparatu potes, quàm cum hæc fortunata Heròum decora Tecum ducis in comitatu. Hæc verò tam constanti fœdere in Te cohæserunt, ut perenni nexu, æque virtutem Honor, ac Honorem Virtus complectatur. Is enim es, qui raro humanæ felicitatis munere, eâ prope necessitate ageris, ut semper ac ubique utraq; hæc perennis gloriæ nomina Tecum circumferas, Tuoque exemplo doceas, nunquam solitariam incedere certam Dignitatem. Gratum oculis animisque spectaculum, cum novi Honoris nuper candidatus, candidus Ales Tuus, expedito cursu, per immensa meritorum spatia, tandem ad tam sublime Pontificiæ Celsitudinis solium evadit, & concentu famæ immortalis concordem in animis omnium, provocatis in certamen affectibus, excitat harmoniam. Profectò non alium, quàm hunc faustitatis Nuntium Tuo adventui præire oportuit, ut nemo ambigeret, Te Bonis Avibus, fortunatissimum Hospitem venire. Avertit fatorum fortunæq; arbitriũ,

exortum in hoc Hemiſphærio amicum ſidus, quod Tuæ, ac noſtræ felicitatis diem, abſque occaſu auſpicatur. Hanc ipſa fulminantium armorum victrix Poloniæ Aquila perſentiſcit, poſt ſævam tumultuantium bellorũ tempeſtatem, reſpirare ſibi viſa, cum ſpirantes optatam pacem jugales Phœbi OLORES, triumphali curru Ævum aureum, pæne jam invehere huic Regno videt. Tu interea noſtrarum voluntatum aditus, adeo prævalido cordibus lætitiæ aſſultu occupaſti, ut datis manibus victori Gaudio, animos Tibi ſeruaremus, quorum jure optimo debitam poſſeſſionem priùs, quàm Præſulei Honoris faſtigium adires. Conſecratas Tuo ingreſſu urbis hujus vias, non prôfanâ ſuperſtitione credimus, quibus Sacrorum PATREM ſacratiore Tiarâ conſpicuum, ad Tutelares Divorum Aras, votis religioſioribus magìs quàm paſſibus proſecuti ſumus. Huc Tu feſtinaſti non inani ambitu, ad honorum prævolante metas, ſed lentâ, nihilominus maturâ jam inde à primis adoleſcentiæ annis feſtinatione; naturam imitatus per ætatum incrementa ſolidiùs invaleſcentem. Abeſſe Tua Te indoles ac virtus voluit ab eorum numero, quos temeraria fortunæ prodigalitas, aut præcox blandientium favorum aſpiratio, non tàm maturitati provehit, quàm interitui nominis immortali. Non genere duntaxat ſolo nixus, quanquam & illud Tibi à tot ſæculis, ac priſcis, longèque candidiſſimis Cygneiſq; titulis illuſtre: ſed iis virtutibus ac ſtudiis Te Honori Tuo maturaſti, quibus ad ſumma provehuntur, qui merentur. Nimium verò hic laboris ſuſtineat Eloquentia neceſſe eſt ſi ſingulis gradibus inſiſtat, per quos ad hanc altitudinem evaſiſti, Aſſurgere nimirum eò Tibi ab exordiis longo deinceps greſſu fuit faciliùs,

quàm

quàm illa ſtudio comparatâ ſequi Oratione poſſit, & cum paſſu æquali Tuæ dignitati, Tuiſq; meritis contendere non poſſit, jacet infra ſua vota, jaceretque pæne muta, niſi vires animum-que colligeret à Tua benevolentia, quâ elingues etiam animare poſſis benigniſſimo deſcenſu humanitatis maximæ Oratoris ruinam reſtaurante; ut hic mihi etiam OLOR Tuus Te referat, quòd quicquid ille voce adeo laudatâ poſſit ad aurium voluptatem, Tu pæne ad vitam præſtes in animis ſuaviſſimâ facilitate humaniſſimæ benignitatis Tuæ. Quanquam ut tacere velit aut debeat magnitudine oppreſſa Eloquentia; ſcribendo equidem vires arrigat oportet, cui vel ipſe OLOR Tuus pennas ingerit, Illuſtriſſimi Honoris Tui, & cui ſe ille comitem addidit, laudatiſſimæ Virtutis Tuæ obſequio provolantes. Nam quòd olim prætenſas galeis Cygnorum pennas militaribus allegerit ornamentis Militia Romana, Martem ego Romanum crediderim palam facere voluiſſe, non aliud ſibi gratius ornamentum, quàm quod ab Apolline, & quos Apollini fabuloſa antiquitas non inutili commento dedit, ab Oloribus aut Olorum pennis, atque ut rem ſemel eloquar, à calamo laudatore haberet: Tibi, Tuiſq; inſignibus à primo magni generis auctore ceſſit hic ipſe dives calamorum OLOR, ut vel prima inter incunabula felix augurio loqueretur ales Apollinis, futurum, tot inter illuſtria tanti ſanguinis nomina, cui cantus, calamique Cygni & Apollinis meritiſſimo deſudent. Inſtructum calamis à primis originibus accepiſti Cygnum, quòd & Tu olim calamo ſaluti Patriæ, Tuæque gloriæ ſudaturus eſſes, & jam volens nolens ingereres calamos, quibus tot eximiæ, planèq; Pontificiæ, juxta ac Senatoriæ Virtutes Tuæ, ad

ad perennem sæculorum memoriam transirent. Illud est, quòd sincerâ potiùs promptitudine animorũ, quàm calamo agimus, atquè inter auspîcata novæ voluptatis exordia, quamprimo in hanc Sedem Pontificij Honoris Tui aditu, bonis omnibus affudisti, propensissimis voluntatum studiis vovemus. Tibi alia est semper laudum cura, citra ambitionem laudis, dum nunquam non eo more atquè instituto vivis, ut laudem merearis ipso Virtutis Tuæ præconio laudatissimus, silentibus etiam calamis ac linguis: nos, si quid est, quod Tuis obsequiis debemus volumusque, acceptum ferimus Tibi ipsi, qui uberrimam laudum materiem, Teipsum vel elingui facundiæ fecisti, dum ita vixeris, ut non tam annorum, mensiumve curriculo, quàm continuo provectu meritorum, mortalem vitam produceres immortali. Inter ipsa nascendi exordia præcipere visa est pietas Christiana, quis in lucem venires, jamquè nescia non inani præsagio, eum Te videbat dicebatquè, qui futurus eras, cum primùm esse ac vivere cæpisses. Quid enim illa ipsa solennior Tui Nominis fuit inauguratio, quàm fortium, magnorumq; olim operum felix fortunatumquê auspicium? Brevi nomine in Te definitum sensimus, quod prolixiore & arduâ rerum gerendarum serie, complexurus eras. Felici nomenclaturâ magna vitæ decora consignasti, ut facilè ex summo utriusq; consensu esset concludere de summâ Virtutis ac dignitatis Tuæ. Gratum omnino Nomen, (licet hîc Cassiodori verbis loqui) quod designant protinus actiones, quando tota ambiguitas audienti tollitur, ubi in vocabulo concluditur quid agatur. Quod si defluentes rivuli à fontibus, à rivis magnitudo descendit, &, Virtus Aviũ à nido est; quales Te sanguinis venas à Maioribus

Tuis,

Tuis derivaſſe oportuit, quorum animi candorem, morumquè probitatem, non magìs in Patrio Stemmate, tanquam nativo virtutis ſymbolo quàm in Te ipſo repræſentas. *U*ltra communem mortalium ſortem, alienæ opis non indigus in lucem prodiiſti, dum collectas avitæ Gloriæ opes, intra Domûs Tuæ penetralia reperiſti. Facile ad ampliora Tuæ magnitudinis incrementa aſſurgere poteras, cui ſubnixæ eximiâ altitudine Maiorum cunæ, ſublimes fecêre gradus, ad ſummum Virtutis & Honoris verticem facilè capeſſendum. Nec Tibi opus erat aliunde, futuræ magnitudinis Tuæ auguria quærere, aut arcanis de Te ſiderum conſiliis agere, quem non vagis atque erroneis Planetarum ambagibus, ſed ſtabili & ſolido Virtutis arbitrio cæli benevolentia ſubjecit. Ex primo Infantiæ Tuæ exordio, tanquam ex aſpectabili auguſtioris ædificij veſtibulo, decernere de Tua magnitudine potuit Annorum Mater Gloria, quæ Te vetuſtiſſimi maximique Generis Nepotem, ut in lucem editum ſinu obvio excepit, nihil in Te tam tenerum advertit, quod olim non in eam excreſceret dignitatem, quæ in Tua magnitudine parem ſibi ſedem reperiret. Admovit animo quæ in Majorum cineribus latebant faces, ut vivâ eorum recordatione, non tám memoriam excitaret, quàm ſtudium, faceretque conniti jam inde velles, ut æquiſſimus avitorum decorum poſſeſſor eò ſenſim evaderes, unde nova lucis incrementa refunderes in avos, proavoſque. Par tam altis molitionibus indoles, validis ingenii viribus uſa in obſequium, maturavit facilem capacemquè animum probitati ac dignitati, jamq; omnibus teſtatum faciebat, eum Te in poſſeſſionem vetuſtiſſimæ gloriæ veniſſe, qui pares humeros honeſtiſ-

 ſimo

ſimo oneri afferres, auctamque longo ætatum curſu proavorum claritudinem pro viribus ſubires. Ferebas vivam in Te Tuorum imaginem, cum immaturam ætatem Tuam, non tàm annorum, quàm Virtutis ac Sapientiæ progreſſu, ad ſumma quæque maturares. Ita jam tum genuinis coloribus, germanam in Te refingebas Dignitatem, ut Te Olorini ſanguinis heredem, à fæcundo illo ac illuſtri Gentilitiæ Nobilitatis Nido, candidiſſimæ luci ortum nemo dubitaret. Adeò rapitur in ſimilitudinem ſuorum excellens quæque indoles & natura, magniq́ue à ſanguine Nepotum genii, quos nolit ſua virtus eſſe degeneres, vitæ ſimul & avitæ gloriæ poſſeſſores, ut magni Nominis menſurã impleant, virtutis contentione extendunt animos, & magnarum rerum molitione, totam Æternitatis capacitatem votis, ſtudijſq; exæquant; ac ne fidem poſteritati fallant, votorum magnitudinem, atque altæ promiſſa indolis, primis conatibus ac ſucceſſibus confirmant, ſpemq́ue ſæpe aliorum potiùs quàm ſuam eò provehũt, unde nihil de ſe niſi magnum, fauſto aſſurgentis in laudem tenerioris ævi augurio, portendunt. Sed, ut hæc felicitas raro complexo cæteris in laudem ceſſerit, ut eſſent, quòd pollicerentur: Tu quidem eam Tibi propriam feciſti, non ſolùm quòd eſſe merueris, qui futurus videbaris, ſed etiam quòd ita egeris ab ipſis adoleſcentiæ exordijs, ut antequam is eſſes, jam eſſe videreris. Nihil Tibi cum iis commune eſſe voluiſti, qui propaginis excelſæ duntaxat radicibus ſubnixi, exporrectis latè brachijs, folia potiùs ad faſtum tumentis auræ, quàm maturos honorum, virtutumq́ue fructus complectuntur. In Te ipſa vernantis Adoleſcentiæ ſpecies, prægrandem graviſſimis moribus autumnum

refere-

referebat; nec in levioris tantùm ſpei herbam aſſurgebat, ſed in adultam recti moris frugem, facili proficiebat incremento. Quanquam præter naturæ ordinem, veris nomen in annorum Tuorum ſerie ne quis reperire poſſet cana Tua eo etiam ſub flore virtus maturam ſe oculis omnium ingerebat. Iam illi voluptas faſtidio, pietas in deliciis: jam proſcriptâ ab ætate florida licentiæ fucatâ formâ, eò natum magnis rebus animum agebat, ubi par evaderes ſpei omnium, indoliqúe Tuæ. Quid ille tam ſerius, & conſtans literarii laboris cultus? quid illæ palmares luctæ, Sapientiæ oculis, & arbitrio objectæ? quid illi in arduum Scientiarum verticem, capaci animo faciles, feliceſquè aſcenſus? Quicquid eſt, quod jam inde moliri voluiſti, Patriæ ac Religioni deſtinabant fata, Tibi etiam eo nomine propitia, quòd de Te primos inter gradus ſtatuerent, ut ſubſidiò utriuſque atque ornamento creſceres. Blandiatur ingenio Platonis Socrates, quod puerum, quem Philoſophicis præceptis inſtituendum acceperat, Cygnum viderit è gremio ſuo evolantem, qui deinde non minus erudito cantu, quàm admiratione ſui orbem impleverit univerſum. Prodire nimirum aliunde illud Sapientiæ prodigium non potuit, quam ex humano Moderatoris Philoſophi ſinu, in quo profundioris Scientiæ Nidum, fidam OLORIBUS ſtationem Sapientia ipſa poſuerat. Tu cum primùm palæſtram literariam, ſinum dico Sapientiæ, è Cygnea nobiliſſimæ Gentis Domo progreſſus, adiiſti, eo animum candore illuſtrem intuliſti, quem nulla adoleſcentiæ volubilis fuſcaret labes, clariſſimis deinceps coloribus, aut veriùs candidiſſimis Virtutum ac Scientiarum radiis illuſtrandum. Veniſti, ut eximiâ morum potiùs ac ingenij probitate, quàm

Gentilitio colore candidus nævorum vacuum, adeoque idoneum maximis decoribus Te ipſum exhiberes; demum olim in theatrum lucis publicæ proditurus, ut ſuaviſſimo Virtutum, & Sapientiæ eloquentis concentu, Patriam, ac Imperium Romanum recreares. Et quanquam Te in umbram literarii ſeceſsûs coëgiſſe videreris, prodebat Te nihilominus OLOR, an Candor Tuus? quod inter conferta aliorum agmina, illuſtriùs cæteris emicaret, atque ad compoſitam, ac concinnam morum comitatem, Tuas emodularetur laudes, dulciùs equidem, quám ad leviter aſpirantis auræ Favonios Cygni ſolent, ut anticipato præſagio, ſecuram ſpem, certitudine gaudiorum in deſideria commutaret. Vivâ hodie etiam, ac recenti memoriâ hi parietes animati loquuntur, quantum illis afferres lucis, aut cum afferres lucem, quantam affunderes voluptatem! Reviviſcit memori conſpectu indolis, ac primarum Tuarum laudum, hoc ipſum Sapientiæ domicilium, Te olim hoſpite & alumno fortunatum; neque ſine novæ voluptatis ſenſu meminit, quem Te jam proſpiceret, cum intra haſce parietum anguſtias ſemotus, deſudares Virtuti ac ſcientijs; aut potiùs, quòd in Templo Sapientiæ verſareris, litares utriſque. Aſſurgere nobis hodie ipſa hæc ſaxa, & hæ lugubres ſuâ deſolatione moles attollere verticem videntur, cum Te illum vident, quem, antequam eſſes, norant, quemque auguriis præſagientium ac votis, toties antehac dici meminêre. Inſpiraſſe illis animam videri poſſis, quòd vivam & ipſa noſtris animis ingerant recordationem herbeſcentis in ingentes meſſes dignitatis Tuæ, & Honorum, quos nunc Illuſtriſſimos circumfers, luce illuſtriſſimâ tunc etiam ex operoſiſſimi illius

otii

otii umbra emicantis. Meminimus perennibus inſcriptis faſtis exantlatos à Te in Stagyritica arena labores, qui nunc etiam nobis, Te coram intuentibus commõſtrant, quo tramite inter erudita ſapientiſſimorum Doctorum Capita, ultra vulgarem famam, ac opinionem proceſſeris ad Scientiæ apicem: cum limati ingenii acie, ipſam quoque Sapientiam, in illa armatis rationibus diſceptantium arena, acriter propugnares. Tum, ſi quando, armatam ſe gloriabatur Pallas, cum Tu eruditas manus inter ſeveriores diſciplinas conſereres, & promptâ vi acris judicii, evolveres veri latebras, nodoſque, quibus ſcientias videres implicari, feliciùs, quàm Alexandri gladius, diſſolveres. Exploratum feciſti in umbra robur, quod olim in lucem tantæ, quantam ſuſpicimus, moli idoneum eſſes allaturus. *Uſque* adeo invicto ſtudio, ad conſummatam niſus es poſſeſſionem Sapientiæ, ut ex opulento Doctrinæ ærario, non ſcientiæ opinionem, quod quibuſdam ſatis eſt, ſed ipſam ſcientiam referres. Nos porro illum Tibi tũc etiam plauſum dedimus, quem promerebaris, qui ſcilicet Tuo Capiti hanc ipſam, quæ Te hodie coronat, Infulam devoveret.

At Tu non domeſtica duntaxat, ſed etiam peregrina, neque ſolum à Scientiis ex umbra, ſed à rerum, regnorumque notitia, in publica Orbis luce, huic Tuæ dignitati præſidia moliri voluiſti. Progreſſus in ampliſſimum tot Terrarum ac *Urbium* theatrum, ſedulus opum animi quæſitor, augere perrexiſti induſtriâ, quod dares Patriæ geminis in ſalutem ipſius famamque impendiis, quicquid afferres Tecum, uni redditurus. Neque illa Te facilè extraneis Terris commodaſſet, niſi ſpem pro obſide certam reliquiſſes, quòd

 Te

Te cum fenore reducem receptura esset. Credidit fidei Tuæ sui æstimationem, quam in Te ita circumtulisti, ut peregrinis moribus, ac Legum institutis pretium Poloni Nominis non imminueres: augeres etiã palmaris atleta gloriæ, pro qua tot spectatoribus, Tibi, Patriæque certasti. Egressus limites cæli Patrii cum esses, constanter intra hereditariæ Virtutis terminos perstitisti, ac remotiùs per latè porrecta Terrarum spatia provectus attendisti, ut ne latum quidem unguẽ abesses à candore dignitatis, quem magnis insuper incrementis auctum patriæ referre voluisti. Parum erat indoli, Virtutique Tuæ, si inter procellosas peregrinationum Vias, infames multorum naufragiis scopulos, periculorum immunis, Tuiquè integer evasisses, prætervectus felici auspicio candidissimi Oloris Tui, Syrtes & Charybdes probitatis; nisi etiam eò animum adiiceres, ut major ac illustrior quàm exieras, Patriæ usibus redires. Quem Te excepit sinu, quem disciplinis pluribus erudiit, alienus Orbis! quo eximiæ mentis Tuæ indolem pretio æstimavit! quo certissimâ præsensione altæ spei provehebat dignitatem, virtutemque Tuam! videbaris jam tum crescere rebus maximis; jam regnator animorum ingentes consiliis cætus moderari: jam oracula voce dispensare: jam infulis illustris, aris accedere : ita demum agere, ut qui futurus eras, jam tunc gentium æstimatione esses. Quocunq; Te agerent consilia animi magnis molitionibus ad eximiam dignitatis gloriam assurgentis, Tecum & Tu agebas Tui desideria Patriæ inprimis desideratissimus Tuis humeris sese ultro inclinanti. At Tu lento maturoque progressu, sensim magno oneri vires festinabas, ut ferres validiùs, neque ad ferendam tantam molem, festi-

festinatis adeo passibus properabas; ut ne minus Reipublicæ ferendæ paratus accederes, quàm putares ferri pro dignitate posse. Non priùs in Solem publicum Reipublicæ totius prodiisti, quàm excultum Scientiis animum, magnis deinde ac domesticis exemplis, magnorum Patriæ Atlantum erudires. Lubienscios illos loquor Pontificijs infulis insignes; duo fulmina dicerē, nisi benignissima modestissimi generis humanitas, longè à terrore hujus nominis abesset. Scipiones equidem & columina dixero, quorum diu suffultam consiliis stetisse Patriam, is demum non crediderit, qui nesciat, cadere antea, quàm ii occumberent, minimè potuisse. Eò Te & conjunctio sanguinis, & æstimatio dignitatis justissima pellexerit, ut existimares meritò non aliam magnæ Tuæ indoli palæstram parem esse posse, è qua salutis publicæ propugnator prodires, quàm quæ tot annorū spatiis, tantis spectatoribus & arbitris, SIGISMVNDO & VLADISLAO Poloniæ Regibus, tot inter Reipublicæ procellas, longo usu erudita prudentia, viva exhiberet documenta, qualis ad Rempublicam accederes, si salutem Reipublicæ, quod animo destinabas, famamque Poloni Nominis, à privatis alienus commodis, suppar & Tu mox Atlas sustentare velles. His adytis Tu primum capiebas oracula, quæ in magnos usus Patriæ edebantur; ut & Tu divinum magnæ mentis sacrarium cognatâ Civilis Sapientiæ excultum eruditione disceres, imò jā occiperes inaugurare Templum Consilii publici. Nam & inter prima illa consanguineæ Virtutis, ac prudentiæ instituta, & exempla, is animum videbaris advertere omnibus, ut omnia præcepisse priùs videreris capaci ante animo complexus, quidquid velles ediscere, quàm perciperes spectator aut

tor aut auditor; ut tunc etiam non tàm ſecuturus conſilia aliena eſſes, quàm pari animorum, non annorum nexu, in conſenſum conſilii ac prudentiæ venires. Quidquid de Te ſpectandum objiceres, apertis in Tuã dignitatem magnorum Arbitrorum oculis, cenſuram laudum meritis prævertebas, parem ſemper conſecutus rerum ac negotiorum exitum, & approbationem. Efferebat ſe ubique ingens animus, & minoribus etiã ſubinde curis exercitus, ſuâ ſe magnitudine tantùm attollebat, quãtus in curſu gloriæ maximis Reipublicæ laboribus & Honoribus non impar aſſurgeres. Paratum Te negotia omnia habebant, neque minor eras pluribus, cum in Te incumberent certatim quàm ut parem omnibus induſtriam afferres: neq; ita ſuâ Te multitudine in partes diſtrahebant, ut ne ad ſingula totus accederes; adeoq; ita Te ſibi omnia vendicabant, ut totâ ſingulis prudentiâ ac ſolertia adeſſes. Quamcunq; in illo induſtriæ theatro perſonam accepiſſes, eâ tuliſti dignitate, quæ certiſſimam menſuram Tui palam omnibus exhiberet; non aliam equidem, quàm his Tuis Infulis, tituliſq; æqualem. Seu de cauſis forenſibus decerneres cognitor: ſeu negotijs publicis, privatiſq; arcana mentis alienæ ſenſa certiſſimus interpres referres; ſeu quamcunq; aliam in partem muneris Pontificii ac Senatorii meritiſſimo Primati venires, Tuum illum honorem ferre videbaris, neq; alieno nomine perſonatus, alium potiùs rebus adhibere quàm Te ipſum, Primas jam ſocietate onerum, ac privatâ dignitate, tametſi ab ambitione tanti nominis longiſſimè abeſſes. Hæc Tibi publicarum rerum rudimenta adornabant illuſtre iter, quo vel invitiſſimus ducereris in majorem lucem, auſpicato ad ipſius Serenitatis conſuetu-

ſuetudinem acceſſu, ex quo & Tu, quod eſſe merebaris, evaderes Illuſtriſſimus. Qualis verò & quantus Sereniſſimo VLADISLAI lateri adhæſiſti! qualem Te Cenſor ille oculus prudentiſſimi Principis conſpexit! quis in primo limine tot ſpectantium oculis videbaris! qualem Te obnoxia tot æmulantium ſtudiis aula ſalutavit! videre ego mihi videor cum primùm tranſcenderes auguſtos poſtes, primis Te Reipublicæ muneribus tranſcribi, addici trabeis, devoveri Infulis cæpiſſe. Et quamuis ſuis quiſque ſtudiis agatur, ut ne ante aliorum cõmodis velificari, quám ſuis velit: reperiſſes tamen neminem in magno ſplendidoque contendentium ad metas votorum cætu, qui pari objectu dignitatis, non ſolùm Te remorari vellet, ſed etiam venire Tecum in contentionem aut vellet aut poſſet. Adeo primo etiam exortu illuſtris illuxiſti, ut ſolis orientis inſtar diffuſis circumquaque radiis tot alios, quos primis ſplendoribus ſpes altæ attollebant, magnitudine lucis Tuæ velut aſtra minora pæne extinxeris, morãque objecerîs concurrentium ſtudiis ac feſtinationi, ne prius quæſitam votis adirent poſſeſſionem lucis, quàm Tu meridianam atque illuſtriſſimam adires. At non hoc induſtriâ & conſilio agebas, ne alios ſpectares ante, facilis votis omnium ſuffragari, nec invitus ſequi aditu præmiorum, quos meritis præibas: ſed tantùm in animos virtus Tua, dignitaſquè potuit, ut ſeſe omnis alia dignitas inclinaret uni; nolletqve præ ſe non videri eam quam ſua magnitudo cæteris altiùs extuliſset. Non Tibi longo ſtudio ambiendi diu penetrale Regium obſidendum erat, nec machinis agendum & artibus, aut tormentis petitorum (alieni favoris impendiis) ut portam occupares, aperto undique ad regiam benevo-

lentiæ

lentiæ, cor Principis, acceſſu, eò uſque facilè penetraſti, ubi fidem Regii Nominis tutandam, ſignandamq; privatim ſervares, ac pæne jam inaugurareris minoris præcurſu dignitatis, maximus fidei publicæ ſignorumque Princeps. Crediſſes & Tu merito obſtringi ſimul Tibi fidem Regiam, ut exiſtimare poſſes, cum tutelæ creditam, velut mancipem haberes jam tunc vadimonio ipſius, nihil Te â munificētia Regali, quicquid illa poſſet maximum, non poſſe exſpectare. Præſtitiſſet VLADISLAVS, quod debebat, niſi mors optatiſſimi Principis ad ſubvertendam ruinâ Capitis felicitatem Patriæ feſtinata, moram præmiis objeciſſet: & Tuæ gloriæ intereſſet, diuturno uſu meritorum conſequi, quod citò merebaris; ut eo illuſtrior accederes honori, quò cumulatior meritis, ornatiores humeros afferres ſuſtentando. Nec potuit videri ſpes Tuas præcidiſſe calamitas publica, cum Principe fortunatiſſimo extincto, veluti malorum obice rejecto, ingenti in Patriā eluvione exundaſſet: cum in eo infelicitatis pelago ea Te publicarum rerum cura exceperit, ut nunquam felicitate tantùm aut creſcere meritis, aut famâ virtutis ac induſtriæ inclareſcere adeoque matureſcere honoribus potuiſſes, quantum Te infelicitas publica agnouit. Eadem tot malis ac hoſtibus ad evertendam Patriam ſe via aperuit, quæ Te ad ſublevandam duxit, parique paſſu infelicitas ad Rempublicam opprimendam irruit, ac Tu ad ſuſtinendam feſtinaſti. Tacebo primas illas ab occaſu Principis fortunatiſſimi, laudatiſſimas in herede tanti nominis deligendo curas, quid laborum exantlaveris, quantùm deſudaveris boni publici ſtudio, quibus Reipublicæ ſalutē conſiliis ſuſtentaveris publicè ac privatim, quis tantis rebus acceſſeris interpres Inter-

regis, id à me silẽtio potiùs Tua modestia involvi, quàm Oratione explicari velit, Mutâras Principem; quanquã nescio an mutasse dixero, quod & Tu fide ac obsequio non alius IOANNI CASIMIRO, quam fueras VLADISLAO: & IOANNES CASIMIRVS redivivũ Tibi præstaret in se benevolentiâ VLADISLAUM: sed ut alius adiisse Regni gubernacula Princeps videretur, alium & Te vidimus novo majoriq; meritorum incremento, dum novis ac quotidianis continuo successu malis crebrescentibus, novis & Tu, ac perennibus Principi Patriæq; obseqviis adfuisti. Aderas, quoquoversum ageret temporum rerumq; necessitas, undiq; advigilanti Principi, ut consilijs adesses; anima & nomine Patriæ, quam certatim undiq; ipsius exitio malis irruentibus oppressam, ac tantùm non extinctam vidimus, demumq; vidissemus, nisi & Tu animasses. Quos subsidio ruinæ, levandisq; rebus Patriæ benevolentia cælestis destinârat, Te in eo censu vidimus; primum, dicerem, nisi Tu primas aliis submissione modestiæ, deferre didiceris, quanquam animo studioq; primus, aut qui primas nulli concederes: inter primos equidem pars magna tanto operi accessisti, quod nulli secundus esses, quisquis Patriæ salutem tueri, aut quærere constanti pietate vellet. Et cum is accesseris subsidio rerum publicarum, ut primas merueris, prope est ut Te dicam ultimum, quòd tot aliis Scipionibus salutis publicæ, quibus vitã Patriæ debemus, pæne unicus inter paucos omnino costantissimus, maximusq; supersis. Magnis Te, ac nisi superfuisses & Tu, extremis Reipublicæ periculis objecit Tua veriùs pietas, quàm fortuna exploratura animum quem Honoribus offerres: ac iis virtus inferior impar domicilium præstaret. Erat suus & Honori

 ambi-

ambitus ut Te quæreret: ac ambiret, nisi meritissimũ magnitudine malorum, quantus esset explorabat, non aliâ mensurâ certiùs cogniturus, quàm quæ à magnitudine calamitatis publicæ haberetur. Talem Te fatalis illa Patriæ tempestas reperit, qualem adesse oportuit periclitanti, ne periret; non minùs studio voluntatis, quàm consilio paratum, quidquid res, ratioque poscerent, profundere in usum publicæ salutis & utilitatis. Vitam ipsam Patriæ, quam vitâ habebas cariorem, toties impendisti, quoties inter adversa hostiũ civiũque arma stetisti in acie pacatus bellator, non Martis sed Palladis accinctus armis, non gladio sed consilio quæsiturus pacem publicam, & incolumitatem. Capax Tibi animus periculorum æquè ac consiliorum, nec tantum in Rempublicam infelicitas potuit, quantum Tu in calamitates animo, prudentiâque posses, si saluti Patriæ perinde ac consilia, arma festinarent. Sed ne illa Te tantum Civem numeris omnibus absolutum haberet, Patrẽ ut agnosceret, ad aras meruisti. Nam quoties, aut quâ religione animi, cum necessitas fatalis consiliis vim eriperet, cumque animam Patria agere videretur, supplex accidisti aris ac Cælitibus, ut subsidium rebus adeo deploratis cælo accerseres? Et credam non immeritò eximiam hanc cæloque gratissimam religiosi animi voluntatem tantùm potuisse, ut propitio Numine succumbentem malis patriam vindicaret ab interitu supremo. Geminis Patriæ impendiis merere, aut veriùs Tuæ erga Patriã pietati geminâ voluisti litare victimâ, prudentiæ civilis, ac religionis, ut supra humani ingenii vires altiùs etiam suppetiis quæsitis, validiùs Patriam tuereris utrinque tãtus Patriæ propugnator, quantum ratio calamitosissimi temporis poscebat. Quid à Patria

interim

interim arbitratu Principis referres, tantùm abest ut non laboraveris, ut totus in Rempub: animo studioq; intentus Tui planè immemor pro meritis augeri velles, non præmiis, nec fervidâ, tametsi non injustâ festinatione ageres, ut onustus honoribus, dulci laborum fructu, rejiceres onera, felici declinaturus otio ingentes curarum publicarum laborumque moles, quibus nisi maxima diu ferẽdis Virtus sufficere non possit. Lentiùs, quã aut ipsa vellet, aut Tu merereris, Tibi præmia festinabat, ut diutius frueretur industria Virtutis Tuæ, neq; adeo differebat, quod datura erat, ne libentissimè præstaret: sui duntaxat studio agebat, ne citiùs quàm vellet, manumittere videretur; amplissimo proventu laudis Tuæ, ut meritissimus acciperes, quod daturam sese, diuturno Tuorum laborum usu, visa est pignerari. Demum quidquid Honorum erat, quos primos capesseres publicè, novam Tuis humeris laborum inferebant molem, ut censeri posses ipso aditu Honoris, non tam ornari titulis, ac insignibus Honorum, quàm obtentu nominis speciosi, ingens pondus onerum subire. Tuâ causâ, quanquam laudatissimâ; egit de Te Patria, ut Te neque honoratum vellet, quin submitteret oneri, quod iis esses humeris à natura ac industria, ut quidquid in Te incumberet, ei ferendo sufficeres: neque adeo crescere onerum magnitudo posset, quin paratas afferres vires tot insuper aliis insigni robore animi sustinendis. Atque ut imbrium, fontiumque decursus, magnis fluviis exundantes eò impetu feruntur, quò decliviores, sustinendisque adeo eluvionibus aptiores valles exporrectæ ducũt: ita magni, quos in Republica exantlari oportet, ingentium laborum confluentes, ad Te plenis alveis decurrebant, qui vastissimam ferendis

 omni-

omnibus magnitudinem animi præſtabas. Major es, quàm ut inhorreſceres objectu molis; hîc Te parem virtuti campum ſubire arbitratus, ubi cum laboribus maximis in arenam deſcenderes luctator, atque in hac Palæſtra Hercules omnem magnitudinem ac molem ſuperares. Quid enim? quis primum illud publici Nominis ornamentum animo ſenſuque excepiſti, cum primus à ſecretis Reipublicæ Principis renuntiatus oraculo, oculiſque omnium ac famæ objectus in novam Honoris lucem prodiiſti? Videris tum verò mihi, tot ante laboribus perfunctus, militari teſſerâ Principis Romani excitus pæne auribus accepiſſe illam Gloriæ altiùs aſſurgentis vocem. LABOREMVS. Tantùm ante laborum Patriæ Principique expenderas, quantum à nemine expendi poſſet, niſi Civis optimi menſuram tot impleverit numeris, quot Tu hanc eximio virtutis ac induſtriæ prægreſſu exceſſiſti: novum Te hic nihilominus, ac inſignem athletam excepit cãpus novis pro Republica laboribus exercendum, Tuque in hoc virtutis, gloriæque ſtadio, ideo Tibi viſus es conſtitiſſe, ut initiatus novi Honoris inſignibus antiſtes meritorum, meritis alios anteires, neq; adeo proſequi curſum meritorum velles, ſed ordiri. *Ut* ſol radiorum magnitudine illuſtrior effulget, quò altiùs cælo ſurrexerit; ita Tu provectu Honoris ſublimior, clariſſimis magnorum operum incrementis illuſtriùs non minùs Tuæ gloriæ, quàm ſaluti Patriæ illuceſcere cæpiſti. At enim magnæ Tuæ indoli, virtutique animi exiguus campus fuit Patria, neque tot laboribus, quos ſaluti publicæ, dignitatiquè devoveras, quà latè Polonia in campos tenditur, par Tibi ſubiiſſe theatrum videbaris: ne impari in campo Tua ſe explicaret Virtus,

tota

tota Te Romani Imperij magnitudo exſpectabat, Prænuntia Te fama peregrè loquebatur, atque antea quàm publicus Orator Regis aut videri, aut audiri poſſes, jam ſpectari Imperio, jam audiri videbaris. Suis Te coloribus expreſſum, hoc eſt certâ Tuæ dignitatis magnitudine illuſtrem ferebat, niſi quòd & illa minùs de Te loqui poſſet, quàm ut Tuæ dignitati paria loqueretur, ipſa rei magnitudine vocaliſſimum famæ ſonum excedente. Quis animo, ac ingenio, quis cultiſſimâ ſapientiæ eruditione, quis commendatione exactiſſimæ probitatis, quis uſu induſtriæ ac laude meritorum venires, ſpectavit Imperium in illuſtriſſima luce Tuæ gloriæ, quæ Tibi inſternebat viam, non minùs in illam cōſilii publici ſedem, quam in animos expectantium & corda, quæ Tu priùs occupaveras æſtimatione Tui maxima ac deſiderio, quam conſpectui adeſſes. Talem Te deinde excepit Ratisbona, ut clariſſimam famam Tui nominis aſpectantium admiratio vinceret: ac tametſi opinione omnium juſtiſſimâ talis animis ferebaris, qualis tot, tantiſque rebus conſultor, aut author accederes: minùs tamen erat, quod de Te præconio famæ ferebatur, quam quod admurmuratio omnium coram eſt venerata. Conſtitiſti in publico Imperii totius ſole, in eo Principum Procerumque cætu, quem pari jure dixero, ac olim Cyneas Orator Pyrrhi, Senatum multorum Regum; eo denique in loco conſtitiſti, cujus amplitudini non alia menſura par erat, quàm Tu ipſe; is inquam, conſtitiſti qui Princeps in Collegio Principum videbaris non alienis coloribus majorum tanti nominis ſpecie fucatâ (quanquam Olorino ſanguini illuſtriſſimus eſt nidus) ſed propriâ, certâque dignitate, quæ jure meritorum in Principem proximè excreſceret.

 Seu

Seu Orator eloquentiâ aures, atque animos amplissimi consessus occupares: seu certâ acerrimi judicii libellâ expensas rerum causas, ac momenta negotiorum, aut evolveres, aut conflictu explorares: seu demum quidquam aliud regii Oratoris officio ageres; parum erat, si par loci Collegiique amplitudini egisses, nisi ita etiam egisses, ut Princeps inter Principes videreris. Quid? illud regiũ honoris nomẽ, qua Tibi impositũ dignitate ferebas? Assurgere se ipsa altiùs ipsa tãti nominis Majestas visa est cum à Te ferretur, quod is oneri pulcherrimo humeros ac vires subjecisses, qui studio honoris publici ulterius progredi volueris, quàm ut partes dũtaxat impositi muneris ac personæ impleres. Suspici in Te debuit & ipse sua magnitudine Maximus ac Serenissimus IOANNES CASIMIRVS quod vivis ac pulcherrimis virtutum lineamentis eam Principis imaginem expressam oculis exhiberes, quæ pari omnium admiratione spectaretur, ac veneratione. Patrium gentis nomen quantum in Te creverit, oportet! cum insigni æstimatione Tui pretium Poloni nominis assurgeret, Tuque animis omnium facilè persuaderes spectatus, tantam, ac tantis rebus indolem, Virtutemq; natam nonnisi in eo populo nasci posse, quem cæli ac naturæ benignitas cultissimarum gentium numero adlegerit. Felices audisse videor, terras dici, quæ tantum in uno proferre possent, quantum si natura partiretur in plures, abundè ad eximiam speciem videretur singulos instruxisse: fortunatum non minus Principem, quem tantorum Civium quibus imperaret, longè maxima amplitudo majorem faceret, ac illustriorẽ, quàm potestás regnandi. Peccasset nimium fortuna, nisi tot, tantisque decoribus festinasset illa etiam nova decora

eò dein-

eò deinceps illustriora quòd Tu ea tulisses: festinasset nisi, ut fortunam agnoveris, etiam meritissimo dare antea non possit, quam fortè fortuna fuerit, quod velit justissimo Principis arbitratu dare. Tuum erat quidquid dare posset Patria, neque adeo ulla sese honorum altitudo erigit ut ne eam ascēsu dignitatis propriæ meritissimus adires. Dedit quod primum potuit, seque ipsam credidit fidei, Virtutique Tuæ, cū Te Reipub. tabulis, ac signis, authoritate Principis, admovit juris publici tutorem ac beneficentiæ regiæ administrum. Quem Te hic honoris gradus exceperit, iis primùm testibus audire velim, quos ad opem implorandam, ac subsidium quærendum, aut levandis fortunis, aut injuriæ vindicandæ privatæ rei necessitas cogebat, neque enim concurrentium, officio gratulandi, studia appello, ne amicitiæ potius quàm publicæ ac certissimæ opinionis sensu de Te, Tuisque honoribus decernam. Quanta sese omnium animis lætitia infudit! quis in omnes ubertim exundavit jucundissimæ voluptatis sensus? quibus exultantium plausibus, cum primùm exurgeret fama Tui honoris excepta est? Novum asylum alter Romulus, novus Regni conditor IOANNES CASIMIRVS aperuit, sed quod innocentiam tueretur, novum calamitosis præsidium erexit, Te ipsum novis auctum honoribus, acerrimum justitiæ vindicem, atque assertorem æquitatis. Attollere animos visa est justitia, cum Te cognitorem accepit secura omnino sui, ac certa non aliud se illustrius atque amplius triumphis, quàm apud Te Capitolium habituram. Ac ne quidquàm deesset ad eximiam Virtutis Tuæ commendationem, ipsa hæc tempestas, quâ Te primum vidimus juris, ac fidei publicæ custodem vertit in uberrimam segetem

laudis Tuæ excreſcente in ampliſſimum proventum gloriæ acerbiſſimi temporis egeſtate, ſero adiiſti Magiſtratum, ut glorioſiùs obires: neq; antea tam illuſtre tanti muneris nomen accepiſti, quàm poſſes palam facere Magiſtratum Tibi cordi eſſe, non quæſtum, ſolamque dignitatem eſſe, cujus ſtudio tot curis, & laboribus animum ac vires ſubjiceres, non privatam utilitatem. Exhauſtis Patriæ opibus, injuriâ temporum, exhauſtum & Tu animum, vacuumque cupiditatibus gerebas: eâ nihilominus virtutis ingenuæ opulentiâ fuiſti, ut è tot laboribus, quos publicis, privatiſq; rebus impenderes, non alium velles colligere, quàm gloriæ immortalis quæſtum, atq; hoc interea fortunatus lucro videreris, quòd ſupra tot laborum impendia, vitæ etiam fortunarumq; diſpendiis, ſervires utilitatibus alienis. His illuſtrium operum ſtudiis erudiit Te virtus, ut conſuetudine laborum robuſtior validiorem animum curis gravioribus afferres. Quid enim aut Te minus ſuis oneribus cuperet Reſp. ſanctior, quàm Ciuilis: aut Tu minùs velles à Te alteri præſtari, quàm alteri præſtabas? Invidendus alteri fuiſſes, niſi tantus eſſes, ut ſufficeres utriq;, unâque firmitudine animi poſſes geminum tanti ponderis utriuſque Reipublicæ onus ſuſtentare. Nec Tu refugere oneris gravitatem aut poteras, aut debebas, quod exiſtimares non minus à Te pietatis expendi Eccleſiæ, quàm Patriæ oportere: plus etiam impenſum velles, quod ſanctitatis pretio cariorem Eccleſiam, quàm Patriam haberes; hanc etiam Patriam, quæ Te meliori vitæ in lucem dedit civem municipii æterni. Incubuit illa Tibi ſuâ mole, nuſquam validioribus humeris ſuſtinenda, Tuq; eam pietatem ferendæ ſubjeciſti, quâ omnem Pontificii nominis dignitatem impleres. Tantus jam diu ante Pontificiis vir-

tutum ornamentis illuxeras universis, ut errasse videri possent Ecclesiæ, nisi Te Episcopum optassent, quem præreptum alteri suis quæque Infulis meritissimò cuperet admoveri. Certatum est de Te plurium studiis, ac votis, quod cum suo quævis studio eam sibi virtutem vellet, quam putaret maximã, neque aliis aut ferri humeris, aut manibus foveri vellet, quam quæ optatissimæ viderentur, in Te oculos, animosque omnium ruere oportebat, qui collectu totius dignitatis omnium in Te studia ac desideria rapiebas. At Tu hîc Tuo consilio; hoc est maximo egisti, ne primas inprimis Infulas subires: minoribus explorare vires voluisti; tametsi quas tantis honoribus afferres, tot jam onerum usu eruditas attulisses. Fortunatam dixerim Premisliam etiam demissione suâ, cui secùndum Te, debet, quod Te habuerit, non equidem habitura, nisi aliis infularum honoribus inferiorem verticem minor summitteret. Quanquam ut hoc felicitati ejus accesserit, quòd Te habuerit, minus prope est, quam ut optaverit habuisse, quòd ambientibus Te undique primis, maximisq; Infulis, pæne ideo habitura videretur, ut amissione acerbius doleret. Vidissemus cum Cathedram adires, inter prima salutantium officia & studia gratulantium aspersum voluptati doloris sensum, quòd nemo dubitaret, Tuæ magnitudinis præsagio ita animis omnium ominante, minorem esse Premisliam, quàm ut diu Te habere posset. Neque unus hic tantùm Premisliæ obortus est dolor, quòd Te acciperet amissura, nova insuper dolendi causa accesseras, quòd cum ex Te cepisset mensuram Pontificiæ dignitatis, experimento Tui didicerit toties dolendum sibi esse, quoties acciderit, ut Te in heredibus habere non possit. Quid? quòd suæ felicitatis, ac se-

ac securitatis sponsionem ac fiduciam Tuas Infulas habuerit? Aberas necessitate temporum; quãquam, quòd animi affectu Premisliæ adfueris, magis aderas, quàm abesse videreris: aberas ab oculis duntaxat, cõspectuq; Tuorum, ut capiti Reipub. adesses, prolabenti in ruinam Patriæ subsidium consilijs allaturus: ea tamen Tui nominis majestas fuit, ut non minus fortunæ inconstanti, quàm hosti sævienti injecerit sui reuerentiam, ut officio salutandi, non oppugnandi studio Premisliam adiisse videretur. *Umbra* Tui nominis tanti erat, ut præstaret securitatem Tuis, atq; hæc Tiara, quæ te coronaverat, visa est validissimis propugnaculis mænia coronâsse. Neque Tu Premisliam reliqueras inarmatam, ne posset retundere armatum hostem: validioribus, quod quæsitis cælo armis armaveras: aderas ipse etiam non benevolentiâ tantùm Pontificiâ quâ Tuos animares potiùs, quâm armares; verum etiam pietate ac religione, quâ fortissimus Tuorum propugnator cælum ipsum in hostem armare potuisti. Præverteras jam ante hostiles Aquilonis lituos, & Pontificiæ solicitudinis classico Tuos conciveras ad arma, quibus uno impetu cælum simul oppugnares & hostem. Bellum & Tu moliri voluisti; at religioso armorum apparatu: ut extenuares hostem, palmares inediæ copias instruxisti, atque ut dejiceres animis, supplex ipse, & affusus aris toties jacuisti victima Pontificiæ pietatis, ac religionis. At hæc neq; unica Tibi, neq; maxima curarum fuit, ut turbulentissimi temporis tempestati Tuos eriperes, Teq; ijs Pontificem præstares propensissimæ studiis pietatis: quidquid demum tanti nominis honori debuisti, Tecũ Tua Infula accepit, carioribus, quòd cælestibus Tuarũ virtutũ longè jam illustrior. Vidimus; neque enim aliis specto-

ctatoribus propior aris accesseras. Vidimus in hoc ipso benevolentiæ erga nos ac beneficentiæ SIGISMVNDI III. tam augusto monimento, inter has basilico opere constructas in Templum moles, in hoc magnificentiæ regiæ amplissimo theatro, in hoc tot Cælestium exuviis divite, titulisque ac nominibus Apostolorum Principum insigni divinæ munificentiæ, Divorumq; palatio; hîc, inquam, Te Vidimus, ubi Te Episcopum, citra usum nominis, jam olim habuimus clarissimo virtutis Tuæ, dignitatisq; præsagio; cum Sanctissimi, atq; illustrissimi honoris initiandus insignibus ad aras accederes, iis Te jam Pontificiæ Virtutis ornamentis illustrissimum fuisse, quibus ante Episcopus videri poteras, quàm initiareris. Episcopum Te reperit Tuus honor, eum equidem quem Tu ipse de Te feceras, virtutis inauguratione; neq; alius illa auspicalia Honoris sacra aut lustrali oleo, aut Infulis submittebas Caput, quàm qui solâ Pontificii nominis dignitate careres. Vidimus cum inaugurareris, publico omnium assensu Infulis Te crevisse, Teq; ipsum certissimam Honoris Pontificii mensuram Honori accedere, neque alteri aptius capiti sacrum illud verticis ornamentum potuisse indui, quàm Tuo. Quam credideris nostrũ omnium animis obortam voluptatem cum Te hîc spectaremus creari Antistitem Sacrorum, ubi olim sapientiæ antistes spectabaris! Sensimus novis nos nominibus obstringi dignitati Tuæ, quòd ea effecerit, ne aliud spes nostræ de Te ante præceperint, quàm quod oculis spectamus. Neq; Tu alibi videbaris aut aptiùs, aut feliciùs initiari potuisse Pontifex, quàm inter hæc tam illustria felicissimi Piscatoris, ac Clavigeri monumenta; ut annulo Piscatoris impressam, signatamq; æternis

chara-

characteribus acciperes Dignitatem, atque â Principe cælestium clavium administro & Tu ad usum clavium admissus in consortium Honoris Apostolici venires. Adfuisse cælo credidimus religiosæ pompæ non spectatores tantum, sed actores etiã. Divos Cælestiũ Principes, huius Basilicæ tutelares, quòd Tu hos inprimis inter ea sacra Antistites Tibi volueris adesse, quibus eã hospitii gratiam debere voluisti, atq; is initiandus ad aras accederes, qui Cælestibus jam ante accesseras imitatione. Nobis equidem, cum Te hîc spectaremus sacris religionibus consecrari, visus es consecrare pietatem. Tuam, eodemq; sponsore annulo, quo fidem sponsæ consignabas, Tuam in nos benevolentiam consignare. Quis interea Cracoviæ, Tuæ jam, animorum sensus? Exultantem illam etiam sensimus, cum Te in ejus sinu Infulæ coronarent, quòd & certissimo Tuæ dignitatis augurio, & justissimis bene ominantium studiis, ac votis suam nasci felicitatem in alienis honoribus videret. Eam in Te magnitudinem jam ante viderat, quàm præreptam sibi ne existimare posset, illa ipsa fecit magnitudo quæ angusto domicilio diu habitare non posset: neque illa, cui primùm Te Antistitem Tua destinabant fata, adeo Te ambire Provincia potuit, ut perennem haberet: visa est & illa, ut plurimùm sibi cuperet, tantum equidem cupere non posse, ut injuria in Tuam dignitatem esset. Debuit suæ in Te pietati, ne tantum sibi vellet, quantum velle ex Tua dignitate non posset, aut suis tantum usibus optaret dignitatem, quam toti rerum maximarum magnitudini parem agnosceret. Majores primo etiam aditu Pontificiis tiaris virtutes afferebas, quàm ut limitibus angustis clauderentur, aut alio in campo totâ amplitudine explicare se possent,

quàm

quàm qui esset maximus. Ea Te poscebat magnitudo, quæ ut Te mensurâ sui consequi non posset: illud tamen virtuti Tuæ theatrum aperiret, in quo testaretur quantum posset, si in campum amplissimum prodiret. Hæc ipsa Honoris Tui sedes amplissima, Sceptris Regum, ac diadematis insignis, fortunata Divorum mausolæis, atq; aris urbs, quæ Te tot votis diu expectatum, hodie venientem non tam portis, ac tectis, quàm propensissimis animorum studiis, & demississimæ pietatis sinu excipit, non eò se magnitudinis tota mole provectã sentit, ut tot illustrissimis Tui animi ornamentis se non imparem agnoscat. Ac tametsi jam ante tantus animis omnium, ac opinionibus ferebaris, quantus es, aut quantum Te sacræ juxta ac civilis Reip. negotia invenêre potius, quàm fecere: ea tamen amplitudine emines, cum spectaris, ut major ipsa de Te maximâ opinione coram videaris. Ingentium scilicet prægrandi mole rerum instar videris & Tu maior, quò vicinior oculis exhibes benignitatem Tuam ipsâ etiam vultus Pontificii specie promicantem. Erit nihilominus in hoc etiam impari tot tantisq; virtutibus theatro locus, in quo tantum Põtificia industria desudet, quantum ad implendam hujus nominis dignitatem desudare oportet. Dabis in hoc etiam campo Tuis virtutibus angusto (tametsi spatiis longè vastissimo) ea omnis sanctitatis exempla, atque instituta, quibus ad perennem utriusq; vitæ, ac felicitatis gloriam illustrissimus elucescas. Nam ut lux objectu corporis in angustias coacta tantum abest, ut minor effulgeat, quàm ante fuerit, ut illustriùs etiam clarioribus radiis spectantium oculos serenet; veluti majori nisu luctata cum angustiis eas magnitudine virium evincat: ita tu in hoc stadium progressus etsi videri possis angu-

 stio-

ſtioribus, quàm pro Tua magnitudine, ſpatiis arceri: nihilominus magni animi indole, ac contentione virtutis Pontificiæ eniteris, ut major ac illuſtrior hanc Provinciam ſerenes, quàm Te ipſo minorem ingrederis. Iis artibus ac induſtriâ inſtructum Te novimus, ut poſſis, velis etiã facere majorẽ non terrarũ vaſtitate ac latitudine, ſed ampliſſimis virtutũ, atq; omnis ſanctitatis incremẽtis. Quæ Tibi præ oculis pridẽ eſſe voluiſti non ſolũ Honoris Tui, ſed etiam virtutis Pontificiæ exempla, ea domeſtica habebis quorum Tu invitatu, ac æmulatione ſanctioris gloriæ ingreſſus curſum, eũ Te Pontificem præſtabis, quem ſoles, non inani ſpecie, & vacuâ nominis dignitate, ſed certiſſimis ac pulcherrimis ampliſſimi Honoris ornamentis. Relegunt ea in Te ſanctiſſimi Antiſtites, quos Honoris numeras deceſſores, Teq; ipſâ Tuorum decorum commendatione admittunt in conſortium Honoris eâ cæleſtium mentiũ voluptate, quæ ſola Cæleſtium eſt; quam ſcilicet Cæleſtibus affundis ipſe, dum clariſſimis ſanctitate veſtigiis inſiſtis imitatione. Hæc Tibi pulcherrima eſt in hanc Vrbem, ac ſedem via, hic aditus lõgè illuſtriſſimus quo merueris, ut adires. Is qui Te circumfuſus undiq; coronat ſplendidiſſimus comitatus, atq; hæc tota illuſtriſſimæ pompæ aſpectabilis majeſtas, tanto magnificentiæ oſtentu conſpicua, debita ſunt non ſolùm Honori Tuo, verùm etiam, quam Honori propriam attuliſti, Tuæ dignitati; eaq; publicorum nominum argumenta, quæ teſtimonio publico, in hac tam illuſtri luce eum Te oculis omnium, animiſq; exhibent, qui tot benevolentiæ, ac venerationis pretia Tui pretio merearis: quidquid tamen eſt, quod Tibi ſtudiis, ac officiis venerantium impenditur, minus eſt, quàm ut pari accedat paſſu

ad ſplen-

ad ſplendorem, quem ipſe Tecum circumducis. Tuus eſt, qui maximus eſt, ac ſplendidiſſimus virtutum comitatus, quem eò majorem Tibi adeſſe neceſſe eſt, quo plus à Te ſtudii atq; operæ collatum eſt, ne quid Tibi ad perfectiſſimam Pontificii Honoris dignitatem deeſſet. Neque hic hodiernus Tibi eſt comitatus: jam inde his comitibus maturare cæpiſti ingreſſum in hanc Sedem, cum virtutis, meritorumq; ſtudiis emeritus fuiſſes, ut ingredereris. Age jam ingredere fortunatus, atque ut diu ante animorum aditus occupaſti, ita portis, ac domiciliis expectatus ſuccede. Provehere, quo Te pridem provexit Tua virtus: quibus proveharis, habes propenſiſſimos affectus, & ſtudia voluntatum, quæ demiſſâ veneratione Tui; proinde Tuis Infulis acclinant, ut Te ſuccollare velint, portiſque, ac mænibus inferre. Divos ipſos Indigetes erectos Tui expectatione habes quibus multò jucundiſſimum eſſe neceſſe eſt eximiam virtutis amplitudinē iis ſedibus admitti, quas ipſi ſuis ante virtutibus conſecratas poſteris ornandas reliquere. Attollit è ruderibus inſigne floribus virtutum caput cæleſtis urbis hujus, ac ſedis excubitor Florianus, qui primus cæleſtium porrecta pæne iterum, ut olim Poloniám aditurus, manu accedit ſalutator, Teq; in hanc ſuam, Tuamq; urbem ducit votis juxta, ac pulcherrimis heroicæ fortitudinis exemplis. Accedunt inſigni pompæ tot illuſtriſſimi Heróès, quos Tu ad ſupremum virtutis verticem duces præeuntes habes. Hyacinthus non floridus duntaxat quæſitis animo ornamētis, ſed flos ipſe illuſtriſſimi Ordinis, ac Poloni nominis ſuis virtutum floribus inſternit Tibi viam, quâ olim feliciſſimus fortunatas adeas mentium beatarum ſedes. Paribus ſtudiis, ac votis Ivones, Prandotæ, Grotii, Can-

tii, Stanislai, Eliæ, Gedrocii, Simones aliaq; illustrissima sanctitate nomina sua Tibi decora festinant, quibus optatissimos aditus sedium æternarum adornes. Nec Tu abesse ab hoc comitatu videris voluisse Stanislae Kostka, qui ut exuvias castissimi corporis, sacrum innocentiæ domicilium, substratas volueris magnis Apostolorum Principum cineribus inter Romanas aras: adesse tamen principe Tui parte & hic voluisti, ut hoc ipso capite, quod iisdem Principibus hîc etiam submittis, venerari tantam Pontificiæ virtutis dignitatem posses, aut, quod præstas Patriæ, consiliis, & auxiliis præsto Illustrissimo Antistiti adesses. Erige Tu quoq; è cineribus illam fulminantem terrâ sapientiæ divinæ sedem, illum oris aurei tantis fluviorum alveis exundantem fontem, erige Petre Scarga caput illud, Infulas, cælo teste, ac spectatore, promeritum; atque hanc Pontificiæ virtutis speciē, quam aut animo fingebas, aut formabas eloquentiâ, comes ac spectator admirare. Quid Heroides cælestes? effusas spectaculo prope est ut intueamur, quod & Angelicâ Catharinæ dexterâ salutari, & castissimo Barbaræ sustentari brachio videaris. At Tibi Illustrissime Antistes quem Tecum ubiq; habes, primus est in oculis laureatis infulis insignis Stanislaus, cui ut ne immeritus succederes Honoris heres, non ante Pontificii nominis quàm virtutis hereditatem cernere voluisti, Serenior & ille Tuum aditum in hanc sedem, adornat, quòd Te heredem habeat, quem cuperet; qui priùs Pontificii nominis impleveris dignitatem, quàm adires Pontifex non honoris tantùm aditu, sed etiam virtutis; quam eò illustriorem Honori affers, quo propior sanctissimis majoribus accedis sanctitatis imitatione. Sequeris trabeati Antistitis Honores, sed eâ con-

secta-

sectatione, quâ virtutes sequaris, neque alius succedis Honori laureato, quàm qui laureati Decessoris sequereris impressa vestigia virtutis. Sequere diu sospes, ac felix, atque hoc Ecclesiastici honoris tam sublime solium iis attollere altiùs, ut soles, ornamentis perge, quæ Te olim cælo meritissimum attollant. Arduum hoc ascensu iter facilius Majorum vestigia fecêre: at, ne alienis tantùm conatibus nitaris, ne difficile Tibi fuerit, Tua ipse consuetudine fecisti. Didicisti jam diù magnis passibus terere certam felicitatis viam, à qua adeo aberrare non possis ut abesse à Te ipso non potes; quòd virtus prope Tibi verterit in naturam. Eruditum studiis sanctitatis, & perenni usu animum alienis exemplis adhibes, quæ Tu eâ refingis imitatione, ut Tua facias, ita aliis intentus consequendis, ut Tu ipse pulcherrimo virtutis spectaculo in exemplum transeas. Talem Te accipit hæc sedes: talis ut esses Pontifex decebat: (liceat enim nobis de Te oraculo cælesti loqui) talis ut haberi posses, Tibi acceptum ferimus, qui talem Te ipse feceris. Nos in Te votorum rei illud iterum vovemus, ut quàm Te felices, lætiq; accipimus, tam constantem hanc nobis voluptatem velit primus omnium, summusq; Pontifex, ut Te quàm diutissimè habeamus.